



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXXIII. De Maioritate Et Obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

testatione, vti colligitur ex Auth. si omnes, C. si minor ab hereditate absteineat, & docet Gl. hic ver. pro actione. Deinde dico; Si necessaria sit cognitio: Nam in causa notoria, vt si filius à patre alimenta petat, non est necessaria litis contestatio: sed de plano procedendum est, iuxta l. nec quicquam, 9. §. de plano, ff. de offic. Proconf.

Altera. Si officium Iudicis, ante, vel post litis ingressum, seu contestationem, incidenter imploratur, necesse non est, vt ideo litis contestatio instituat. Exemplum prio-

ris: Si quis ante litis contestationem petat Aduocatum sibi à Iudice dari; vel ex parte aduersa amoueri, iuxta ea quæ dixi c. preced. Exemplum posterioris: Si quis post litis contestationem, aut etiam post sententiam latam pars alleget errorem facti, per quem necessariam probationem intermisit, ad quam proponendam rogat se admitti Iudicis officio, iuxta c. 3. de in integr. restitut. Videri potest Durandus in cit. §. 2. Abb. hic n. 5. & 10.

TITVLVS XXXIII. DE MAIORITATE ET OBE- DIENTIA.

Dosteaquam de Ecclesiasticorum Ministrorum ordinatione, officijs, ac potestate dictum est, subiungitur hic tit. ad ostendendum, inter illos non esse honoris ac potestatis æqualitatem, sed subordinationem; vt alij maiores ac digniores sint, alij minores, ac subiecti. Quem admodum enim in cælesti hierarchia inter Angelos, & Archangelos, & superiores potestates ac virtutes, quidam ordines, & gradus reperiuntur, ita similiter, in hierarchia, siue bene à Christo fundata & ordinata Ecclesia, vti habetur in c. vii. d. 89.

CAPITVLVM I

Cùm certum.

Honoris prærogatiuâ alios antecedit, qui prius canonicam in Ecclesia ordinationem accepit. Hæc honoris prærogatiua, quæ Ministris Ecclesiæ antiquioribus (non ætate, sed secundum tempus ordina-

tionis, institutionis suæ debetur) consistit in prioritate sessionis, processionis, subscriptionis, responsionis conuentualis &c. Ita enim meritò obseruari solet, vt inter Parochos, aliòsque Sacerdotes, Canonicos, ac Religiosos Professos, si cæterò quin pares sint in ordine ac gradu, reliquos antecedant, qui prius instituti, aut Ordinem professi sunt. Idem quoque inter seculares Congregationes obseruatur, v. g. Consiliarij, Assesores in eurijs Principum; Professores, & Magistri in Academijs, prout quisque eorum ante, vel post alios institutus, vel creatus est, locum inter eos sibi vendicet: Siquidem hoc cōducit ad multas lites euitandas. Quod si verò contingat, eodem tempore institutos esse, qui cæterò quin etiam antè gestis officijs pares sint, tum ætati meritò deferendū erit. Qua ratione inter nobiles & illustres eiusdem gradūs personas quibusdam regionibus receptum, vt in conuentibus ac congressibus maiores natu antecedant.

Ratio horum reddi debet: Quia honor maior in republica ijs debetur, qui & plus meriti, & sapientiores peritioresque sunt. Sed

CAPITVLVM III.

Legebatur.

PARAPHRASIS.

Veluti iniuriam infert Episcopus Clerico sibi subiecto, si ab eo sponfionem obedientie in scripto exigat (vel iuramentum) cum sufficiat verbalis, seu manualis promissio. Ita communiter hunc contractum intelligunt Canonistæ.

SUMMARIVM.

1. *Iniuria infertur obligato, si cautiones superflua ab ipso exigantur.*
2. *Clerici nullam administrationem habentes ad iuramentum obedientie Episcopo præstandum non tenentur, nisi inobedientes & rebelles sint, vel excommunicati.*

NOTANDVM I. Quasi iniuria inferri censetur obligato, si cautiones superflua ab ipso exigantur. Vt si debitor, qui fide dignus est, & ad soluendum idoneus, pro leui debito, supra simplicem promissionem, ad cautionem iuratoriam, vel fideiussoriam adigatur: Multò magis iniuria infertur debitori, si, cum fideiussores vel pignora exhibere paratus sit, in carcerem propter debita ciuilia conijciatur, vti hic Abb. notat n. 1. Felinus in princ. Etenim Iudicem quoque, & Magistratum iniuriam facere posse, & contra eum iniuriarum actione agi, constat ex l. Nec Magistratibus, 32. ff. de iniurijs.

NOTANDVM II. Non est consuetum, vt simplices clerici, ac beneficiati, seu qui administrationem nullam habent, ad iuramentum obedientie Episcopo præstandum compellantur, c. nullus, 5. de iureiur. Præterquam si inobedientes ac rebelles reperti sint, vel excommunicati, vti Abb. hic monet, n. 3. & in cit. c. nullus, n. 2. Porro, num Parochi seu Curati, cum inuestiuntur, Episcopo iurare debeant, id pendet ex cuius-

Zzzz que

Sed qui diutius in Ecclesiæ, alteriusue Reip. obsequijs extiterunt, horum & merita maiora sunt; & maior sapientia, ac peritia. Hæc enim per experientiam acquiritur: Experientia autem per vsum diuturnum comparatur. Atque adedò quidem quod antiquius, idem & venerabilius esse censetur, vt hæc etiam pro Synonimis linguâ Romanâ habeantur, vti constat ex l. postliminium, §. filius, ff. de captiuis, & postlim. reuersis, atque annotauit Andr. Tiraquell. de iure primigeniorum, in præfat. n. 86.

Corollarium. Ex doctrina huius c. infert Innocent. hic. Abb. n. 4. Quod in Conuentibus, in quibus v. g. vacante dignitate nemo est, qui Capitulo præsit, senior Capitulares conuocare solet; (non item punire non accedentes, cum iurisdictione præditus non sit) item congregato Capitulo, propositionem facere; præsentium sententiam exquirere; & in electione Prælati suffragium ante alios dare, denique electionis decretum promulgare. Qua tamen in re cuiusque Ecclesiæ consuetudo attendenda est: cum in iure nihil specificè statutum sit. Videri etiam potest Felinus hic.

CAPITVLVM II.

Si quis.

Vi Episcopi mandato repugnauerit, excommunicari debet.

Intelligitur hoc, si diocesanus (præsertim Clericus) contumaciter se opponat Episcopi præcepto, atque in re, quæ vel secundum se, vel propter circumstantias, ipsâque repetitis monitiones grauis appareat, tantæque obligationis capax, vti explicauit lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 14. n. 2. & 3. Et quod hic dicitur de Episcopo, secundum proportionem intelligi etiam debet de alijs

Ecclesiasticis Superioribus, seu Prælatibus.

* * * *
* * *

que Ecclesie consuetudine, secundum eundem Abb. in. Gl. 1

CAPITVLVM IV.

Omnes.

Princes ipsi, sicuti & alij omnes, Episcopo suo obedire debent.

NOTANDVM Vn. Rex seu Princeps, sicuti & reliquus populus Christianus, Episcopo tanquam Ordinario suo, in spiritualibus subiectus est; nisi quod in quibusdam speciali privilegio, aut immemoriali consuetudine Principes personae eximantur, v. g. quod cuilibet sacerdoti approbato de peccatis confiteri possint.

Porro, si Princeps in prouincia, aut regno suo plures Episcopos habeat, eius loci, seu ciuitatis Episcopus, in qua Princeps principalem sedem tenet, erit quoque ipsius Ordinarius, vt v. g. matrimonium contrahenti assistere possit; non item alterius ciuitatis Episcopus, in qua Princeps ordinariè non habitat, sicuti bene hic Gl. monet, ver. omnes Principes.

Adde pro doctrina huius c. S. Ignatium Martyrem in epist. ad Philadelphienfes: *Clerus, una cum populo vniuerso, militibus, Principibus, atque Cesare, ipsi Episcopo pareant.* S. Nazianzen. orat. 17. ad ciues: *Vos quoque (Principes ac Praefecti) lex Christi imperio meo, ac throno subijcit: Imperium enim nos quoque gerimus. addo etiam praestantius, ac perfectius: nisi verò aequum est, spiritum carni fascis submittere, & caelestia terrenis cedere.* Vide plura in hanc sententiam lib. 4. Theol. moral. c. 9. n. 1.

CAPITVLVM V.

Illud.

Episcopus Hildesheimensis relicta sua Ecclesia, propria auctoritate transtulit se ad Ecclesiam Herbipolensem, vt supra legimus in c. 3. & 4. de translat. Episcopi:

In excusationem attulit, quod ea translatio cederet in commodum temporale eiusdem Ecclesiae Herbipolensis. Sed id rejicit Papa Innocent. III. *Quia propter commodum temporale, non est abijciendum obedientiae bonum; cum id praestantius sit, quippe spirituale, quod temporali praferendum est.*

NOTANDVM Vn. Non est sufficiens causa legem violandi, quod inde bonum aliquod euenturum sit. *Quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vt dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 2. c. 9. n. 7.*

CAPITVLVM VI.

Solitae.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. Imperatorem Constantinopolitanum perliteras reprehenderat, quod Patriarcham Constantinopolitanum in scabello iuxta pedes suos ad laeuam partem considerare faciat. Id egrè accipiens Imperator, rescripsit; Imperatoriam potestatem praferendam esse Sacerdotio, huius suae opinionis non veram causam seu argumentum, sed occasionem accipiens ex dicto S. Petri epist. 1. c. 2. *Subiecti igitur estote omni creature propter Deum sicut Regi tanquam praesentem.* Ad hoc respondetur; Apostolum loqui ad subditos, vt omnibus Superioribus, seu potestatem supra se habentibus obediant; ne videl. aliquis existimet, Christianos per susceptam Christi legem ab humanis potestatibus exemptos, ac liberos esse. Neque enim uero Imperatori, aut Regi denegatur imperium, ac potestas; sed in temporalibus duntaxat, atque in illos Christianos, qui ab ipso suscipiunt temporalia. At uero Pontifex in spiritualibus excellit: quippe quae temporalibus digniora sunt, sicuti anima corpori praefertur. Potest etiam praerogatiua Sacerdotij ex eo intelligi, quod Ierem. cap. 1, non Regi, vel ex regia

gia stirpe oriundo, sed ex Sacerdotali profapia descendenti dictum legimus: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna &c.* Ex quibus apparet, quod Pontifex, quamuis potius mouerit Imperatorem, tamen iuste etiam increpare potuisset, cum Imperator se non possit à jurisdictione Pontificis, B. Petri successoris, eximere, si Ecclesie filius esse velit: quando quidem B. Apostolo oues generatim, & sine differentia commissæ sunt, dicente Domino: *Pasce oues meas,* Joann. 21. Sicut & generatim dictum est Petro, & successoribus Matth. 18. *Quidquid ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis.*

SUMMARIUM.

1. Potestas ecclesiastica maior & dignior est seculari potestate, ut anima corpore.
2. Principes ac Domini seculares reuerentiam debent Sacerdotibus, maxime Prælati, decet etiam, ut in Conuentibus Episcopi dexteram, Duces seculares sinistram occupent.
3. Personæ ecclesiasticæ subsunt Imperatori ratione feudaliū bonorum, quæ in Imperio obtinent.

NOTANDVM I. Potestas Ecclesiastica maior ac dignior est seculari potestate, sicuti anima dignior est, quam corpus: & temporalia omnia subsunt, ac subordinata sunt spiritualibus, atque æternis: Sic ergo Respubl. & Magistratus secularis subordinatus esse debet Reipubl. & Magistratui Ecclesiastico, cuiusque imperium accipere in ordine ad finem supernaturalem, sicuti explicauit lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 6. princ.

NOTANDVM II. Principes, ac Domini seculares reuerentiam debent Sacerdotibus, ijs maxime, qui in Ecclesia potestatem exercent, ut Episcopi, & similes Prælati. Idque obseruari decet, ut Episcopi in conuentibus ad dexteram collocentur, Du-

ces seculares uero ad sinistram, uti hic notauit Ioann. Andr. n. 18. Abb. n. 7.

NOTANDVM III. Personæ ecclesiasticæ subsunt Imperatori ratione feudaliū bonorum ac iurium, si quæ in Imperio obtinent. Quæ de rein c. verum, 7. de foro compet. & dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 9. c. 5. n. 2.

CAPITVLVM VII.

Per tuas.

Quæsitum fuit ex Innoc. III. Verum clericus, qui ordinem Subdiaconatus à Pontifice accepit, idcirco ab obedientia Episcopi exemptus sit. Respondit Papa, tametsi decens sit, ut tales, si cætera paria sint, plus inter alios clericos honorentur, quos Summus Pontifex ordinatione sua dignos iudicauit, tamen per eam ab obedientia, & subiectione, quam alioquin Episcopo debet, haud liberari.

Contra responsonem Innocent. obijci potest: Quod baptizatus, vel ordinatus à Ministro digniore, non plus accipiat, quam baptizatus, aut ordinatus à Ministro uili; cum omnes conferant Sacramentum in uirtute Christi, tanquam principalis baptizantis, ordinantis, iuxta doctrinam S. August. relatum in c. cum tantum, 45. d. 4. de consecr. Ergo non rectè dicitur, Subdiaconum magis honorandum esse, quod à Summo Pontifice ordinatus fuerit. Respond. Hoc non ideo dici, quod amplius quid per sacramentalem ordinationem, à Papa collatam, acceperit; sed quia Pontifex eum dignum sua ordinatione iudicauit, testimonio huic meritò deferendum esse, ut tales præ alijs honorentur, ac promoueantur.

Querunt hic Canonistæ: Vtrum Episcopus ordinatum à Papa ob crimen in perpetuum ab ordine suscepto suspendere, aut deponere possit. Negat Gloss. ver Subdiaconatus, Innocent. ibid. & alij apud Ioann. Andr. n. 5. Fundamentum esse potest: Quia tales non possunt ab Episcopo ad ulterio- rem ordinem promoueri, c. cum in distri-

buendis, 12. de tempor. ordinat. Ergo neque ab ordine deponi. Sed contrarium placet, quod tradit Abb. hic n. 2. Felinus col. 1. Cum enim Episcopus in clericos à Papa ordinatos iurisdictionem retineat, sequitur quòd eos ob crimen punire, & exigente causa, suspendere, ac deponere possit; cum id nullibi interdictum reperiatur. Quemadmodum & clericum à Papa prouisum, & institutum, Episcopus ob commissum crimen suspendere, vel beneficio priuare potest. Ad argum. respondetur, neg. conseq. Quòd enim ordinatum à Pontifice Episcopus proprius ad altiore[m] ordinem promouere non possit, id priuilegium quoddam est cedens in præiudicium potestatis ordinariæ: Ergo extendi non debet ad alium non expressum; præsertim cum ordinatus, priuilegio suo abutens, hanc extensionem fauorabilem non mereatur, argum. c. priuilegium, 63. causa, 11. q. 3.

CAPITVLVM VIII.

Inter quatuor.

PARAPHRASIS.

Constantinopolitana Ecclesia in schisma, ac rebellionem inciderat: quamobrem Catholica, quæ antè subiectæ erant Ecclesiæ, se ab illa separarunt, obedientiam & subiectionem denegantes. Sed posteaquam à Venetis Constantinopolis recepta, & Catholicus Patriarcha institutus fuit, is petijt ab Innocent. III. vt Ecclesiæ, atque Episcopi, qui tempore schismatis pro liberis habebantur, nunc mutato rerum statu ad pristinam subiectionem obligati declararentur. Ad hoc respondit Papa; In absentia illorum Episcoporum, qui nec citati, nec conuicti sunt, nihil se in eorundem præiudicium statuere posse: Quòd si verò Patriarcha iudicialiter contra illos agere velit.

iustitiam se ipsi non negaturum.

1. Ecclesia in hæresin aut schisma lapsa, ecclesiasticis iuribus ac priuilegijs priuatur.
2. Ad conseruationem tamen iurium Ecclesiæ sufficit ex Conuentu unum contra dicere.
3. Ecclesia vbi ad fidem Catholicam rediit, potest restitutionem petere amissorum iurium: quæ si vacantia sunt, ij si iure ea recuperabit; si autem ab alijs possidentur, per iudicis sententiam Ecclesiæ restituenda est.
4. Si translato iurium per Principis, v. g. Papæ auctoritatem in alium absoluti facta est, Ecclesia priuata restitui non debet.

NO T A N D V M I. Si Ecclesia aliqua in hæresin, aut schisma labatur, iuribus & priuilegijs Ecclesiasticis priuatur, ita vt alie inferiores in spiritualibus antea subiecte Ecclesiæ, ac populi Christiani immunes ab illa efficiantur, saltem post sententiam declaratoriam hæresis, aut schismatis incurfi. Ita de hæresi colligitur ex c. vt commissi, 12. §. priuandi, de hæret. in 6. De Schismate verò ex c. Nouatianus, 6. causa 7. q. 1. c. didicimus, 31. causa 24. q. 1. S. Th. 2. 2. q. 39. a. 3. Ratio est manifesta: Cum enim hæretici, & Schismatici extra Ecclesiam sint, non decet eos Ecclesiæ iuribus ac priuilegijs gaudere.

Sed vt hæc res plenius declaretur, ita distinguere: Vel solus Prælatus, v. g. Episcopus, in hæresin, aut schisma lapsus est; tum ipso excommunicato, & priuato, Ecclesia iura sua retinet: quandoquidem delictum persona non debet in Ecclesia detrimentum redundare, reg. 76. in 6. Et cum Prælatus iura Ecclesiæ absque consensu Capituli per pactum alienare ac perdere non possit, multò minus poterit per proprium delictum, vt tradunt Anton. de Butrio, & Felinus hic n. 10. Idemque dicendum, si Capitulares defecerint, sed Prælatus Catholicus maneat, quòd iura Ecclesiæ suæ retinere possit. Vel vnà cum Prælato, v. g. Episcopo, etiam Capitulum & cle-

rus ab unitate Ecclesiæ deficit: Hoc casu amitti iura ac priuilegia, etiam secundum proprietatem, docet hic Imola, cit. n. 10. Felinus n. 3. ver. secundus casus. Quia delictum Prælati, si Conuentus consentiat, Ecclesiæ obesse potest, arg. c. 2. iun. Gl. ver. ipsius doctus, de ordine cognit. & l. iubemus, 10. vbi Bartol. n. 4. de sacrosanctis Ecclesiis, & consentit Gl. in cit. reg. 76. Sed contrarium asserunt Ioan. Andr. hic n. 4. Abb. n. 5. Tametsi Episcopus vñ cum clero, & populo vniuerso in hæresin aut schisma labatur, iura & priuilegia manere penes ecclesiam, sicuti si omnes peste aut ruinâ extincti sint, priuilegia loco adhærebunt. Nihilominus prior sententia mihi magis placet: cum id in quibuscunque vniuersitatibus receptum sit, quod totum corpus delinquendo iura perdere possit.

2. Limita primò cum addit. Alex. ad Bartolum in cit. l. iubemus; Quod sufficiat vnum ex Conuentu contradicere; tunc enim alijs priuatis, iura Ecclesiæ penes ipsum remanebunt. Et bene hoc aduertendum est, Tametsi gesta à maiore parte Capituli valeant ad utilitatem Ecclesiæ, alijs contradicentibus; tamen vnus contradicentio impedire potest, quò minus valeant gesta ad delictum, & damnum ecclesiæ imputandum.

3. Limita secundò: Quod Ecclesia, cum ad fidei Catholicæ unitatem reuersa est, restitutionem amissorum iurium petere possit. Quia in re iterum distinguere oportet: Vel enim iura amissa ab alijs possidentur, vel vacant. Si vacantia sunt, tum ipso iure illa recuperabit Ecclesia, veluti postliminij iure, vti tradit hic Imola n. 10. Felinus n. 4. arg. c. quia, 5. de elect. Sin iura ab alio possessa, v. g. ius conferendi ecclesias & beneficia, ius præsentandi, immunitas à decimis, à subiectione: tunc per Iudicis sententiam ecclesia restituenda est, vti ex hoc colligitur. Indicat enim Innoc. iustam esse petitionem Patriarchæ, vt Ecclesia Constantinopolitana ad pristina iura restituatur; sed hanc restitutionem fieri non posse, nisi citata & audita parte, cuius id interest. Ita Innoc. hic notat, & Abb. not. 1.

4. Sed quid? si per Principis, videl. Papæ

auctoritatem, iurium translatio in aliam ecclesiam interim facta sit, fieri debet restitutio ecclesiæ priuatæ, posteaquam ad fidei unitatem reuersa est? Negatiuè respondendum est; Si translatio in aliam absolutè facta fuit; & non tantum sub conditione dependente ab ecclesiæ rebellionem. Sic docent Imola hic, & Felinus, post Bartol. in l. Gallus, 29. §. Et quid si tantum, n. 11. ff. de liber. & posthumis, vbi ait; Quod in integrum restitutio facta à Principe non aufert ius alterius: Et sic debet limitari l. 1. & seqq. C. de sententiam passis, qua dicunt, quod restitutus recuperet bona; Intelligitur enim de bonis, qua in alium translata non sunt. Eodem modo, inquit Abb. hic n. 2. Si ciuitate in perduellionem lapsa, Princeps in criminis pœnam, pagos vel castra ab illius iurisdictione liberarit, restituta postea ciuitate, ius immunitatis, si absolutè concessum fuit, retractari non debet: quandoquidem restitutio fieri debet sine præiudicio aliorum, quibus interim ius quaesitum est, arg. l. 2. ff. de decurionibus, ex qua Bartolus ibid. responsum fuisse inquit; quod Dòctor ex Collegio absolutè ac in perpetuum exclusus, si postea restituatur, non pristinum locum obtinere debeat; sed post alios, quibus ius post ipsius priuationem acquisitum erat.

CAPITVLVM IX.

Quod super.

PARAPHRASIS.

Abbatibus, & Sacerdotibus, lege diocesana subiecti Episcopo, si ad Synodum vocati, venire contempnant, per censuram ecclesiasticam compelli possunt, dummodò Episcopus non ideo Synodum congregare intendat, vt aliquid sacris canonibus contrarium statuat.

SUMMARIVM.

1. Abbates & Sacerdotes diocesani ad Synodum Episcopalem venire debent.

ZZZZ 3

2. Episcopus

2. *Episcopus nil contra sacros Canones statuere potest.*
3. *Subditus non tenetur se sistere Superiori, si in citatione exprimaturs causa iniusta, vel si notorium sit, eum ad opus illicitum vocari.*

Vtrum Abbates Episcopo subiecti ad Synodum, perinde vt alij Sacerdotes, praesertim curati, accedere debeant, olim dubitatum erat. Negat enim Gratianus in causa 18. q. vlt. c. vlt. Gl. hic ver. dioecessana, arg. c. Episcopus, 1. d. 18. Innoc. & Felinus in hoc c. Henricus Bottæus de Synodo Episc. p. 2. n. 4. Sed contrarium, quodd videl. Abbates venire debeant ad Synodum, aperte dicitur in hoc c. & in c. penult. & vlt. ead. d. c. Abbates, 16. causa 18. q. 2. c. ex ore 17. de priuil. & docuit Hugo apud Abb. hic in Gl. 1. Innoc. in c. graue, n. 1. de preb. Syl. ver. concilium, q. 6. Zerola in praxi, p. 1. ver. Concilium, ad 3. Et ita consuetudine in his regionibus obseruatur, quæ planè conformis est Constit. Trident. sess. 24. c. 2. de reform. vbi etiam hoc adiunctum est; *Quod exempti omnes, qui alias, cessante exemptione, Synodo dioecessana interesse deberent, neq. Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur.* Si tamen & hi, vel quicumq. alij secularium Ecclesiarum etiam incorporatarum curam gerant, Synodo interesse coguntur. Ex quo loco manifestè apparet, quod Concil. Trident. tanquam indubitatum supponat, Abbates non exemptos ad Synodum obligari: Sicuti & Clemens IV. supponere videtur in c. vt Apostolica, 6. de priuil. in 6. vbi statuit, vt Abbates non exempti in Synodis vtantur mitris simplicibus, albis, ac planis; Exempti autem, qui interesse tenentur, mitris auratis, sed sine gemmis, ac lamnis aureis, vel argenteis.

De secularibus quoque Sacerdotibus, ac beneficiatis, qui curati non sunt, vtrum ad Synodum venire teneantur, dubitari solet, vti videre hic est apud Abb. not. 1. Henricum Bottæum de Synodo Episc. p. 2. n. 17. & 18. Sed respondetur, *Quod ad Synodum Episcopalem, institutam ad cleri totius reformationem, vel statuta generalia edenda, omnes Sacerdotes, & clerici venire teneantur, si vo-*

centur, vti habetur expressè in c. vlt. d. 18. & tradit Innoc. in c. graue, n. 1. de preb. Non tamen debent vocari v. g. Canonici omnes, sed aliqui, qui nomine omnium veniant, ne alioquin Ecclesiae debito seruitio, & cultu diuino priuentur, vti notauit Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 93. n. 11. Quamobrem in his regionibus, vbi amplæ dioeceses sunt, neque omnes Curati aduocantur, sed tantum praecipui. Videri potest Paulus Piascius in praxi p. 2. c. 2. a. 1. Henricus Bottæus de Synodo p. 2. n. 18. & seqq.

Porro ex hoc c. duo notanda existunt: I. Episcopus nihil contra sacros Canones statuere potest, vti etiam indicatur in c. institutionis, 7. causa 25. q. 2. Quamuis Ducibus secularibus contra Caesareas leges quandoque statuere concessum sit, vti dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 2. verf. ex his, & tradit Abb. hic, n. 1.

NOTANDVM II. Subditus non tenetur se sistere Superiori, si in citatione exprimaturs causa iniusta, vel si notorium sit, eum ad opus illicitum accersiri. Ita notat hic Abb. prope finem c. & videri potest Innoc. in c. 2. col. 1. de dilationibus.

CAPITVLVM X.

Cùm in Ecclesiis.

PARAPHRASIS.

Quatuor regulares Canonici contra Priorem suum superbè se erigentes, licet corporale ipsi de praestanda obedientia iuramentum ediderint, tamen per omnia ipsi resisterunt. Quamobrem ab eodem Priore excommunicati fuerunt. Volebat quidem Prior à censura illos absoluerè, si de parendo mandatis eius iuramentum praestare vellent; (sicuti Imola, & Abb. ex antiqua lect. referunt) sed Canonici spreto Priore, ad Sedem Apostolicam se contulerunt. Simul autem Innocent. III. Papa plurimum Praelatorum authenticis scriptis certior factus erat de Canonicorum contumacia, qui eosdem, exacto prius corporali iuramento, ab excommunicatione absol-

absoluit, præcipiens, vt ad claustrum suum redeuntes Priori obedientiam debitam præstent: Hic verò mandat quibusdam Abbatibus, vt Canonicos illos ad obediendum Priori suo per censuras ecclesiasticas compellant: Insuper, ne de pertinacia & malitia sua gloriari possint, cogant eos, (si expedire videatur) ad iuramentum præstandum Priori, quod antè superbè ipsi negauerant, de parendo mandatis eius. Sin hæc facere recusent, de fratrum consortio penitus excludantur.

SUMMARIUM.

1. *Prelatus regularis subditis suis regularibus ob eorum contumaciam excommunicationem & alias censuras inferre potest.*
2. *Regulares & simplices Beneficiari cogi possunt ad iuramentum de obedientia præstanda.*
3. *Periurus iterum ad iurandum compelli potest, quatenus id cedit in obligationem iurantis, non autem quatenus id cedere potest ad iurantis honorem, vel aliorum præiudicium.*
4. *Religiosa Prelato inobediens ac contumax, à fratrum consortio separari debet; quòd si Monasterio graue sit, & contumacia atque incorrigibilitas mereatur, eijci potest ex ordine, non citius recipiendus, quam respiciat.*

NOTANDVM I. Prælati regularis subditis suis regularibus, propter contumaciam eorum, excommunicationem, aliisque censuras inferre potest, vt etiam habetur in c. sicut, 33. vbi id notat Gl. ver. sub interminatione anathematis, de simonia.

NOTANDVM II. Licet Regulares, sicuti & seculares beneficiati, qui animarum curam, & administrationem non gerunt, ad iuramentum Prælati præstandum compelli non soleant, iuxta c. legebatur, hoc tit. Excipi tamen debet, nisi inobedientes, ac contumaces aut de inobedientia suspecti extiterint, tum cogi possunt ad iuramentum de o-

bedientia, vt ibi etiam annotaui, & tradit adit. Gl. super c. seq. ver. obedientiam.

NOTANDVM III. Qui iuramentum suum violando periurium incurrit, iterum ad iurandum compelli potest, quatenus id cedit in obligationem ipsius, non autem quatenus id cedere potest ad iurantis honorem, vel aliorum præiudicium, iuxta c. testimonium, 54. de testibus, & post Gl. hic ver. iuramento, notat Abb. hic n. 4.

NOTANDVM IV. Religiosus Prælati inobediens, ac contumax à Fratrum consortio separari debet; ne & ipsos, tanquam ovis scabiosa, inficiat. Intelligunt autem id Ioan. Andr. & Imola hic n. 8. quòd in ergastulum includi debeat. Sin autem id graue sit Monasterio, & contumacia atque incorrigibilitas mereatur, eijci posse ex Ordine, non iterum suscipiendum, donec ad mentem redierit, constat ex ijs, quæ dixi lib. 4. tr. 5. c. 13.

CAPITVLVM XI.

His quæ.

PARAPHRASIS.

In controuersia, quæ erat inter Cardinalem tituli S. Laurentij in Damaso, & parochias eidem subiectas, sententiam tulit Honorius III, vt Presbyteri, ac Clerici earundem parochiarum Cardinali obedientiam, ac reuerentiam deferant, pro scrutinio, (seu examine Cathecumenis suis adhibendo) Baptismo, & Capitulo celebradis ad Ecclesiam eiusdem tituli, temporibus consuetis, veniant, correctionem Cardinalis, sicuti & censuras, quas fortè in ipsos, aut ecclesias eorum tulerit, recipiant, ac obseruent. Cum autem Ecclesia tituli eiusdem Cardinalis vacauerit, tunc ipsi Capellani ac Clerici ea, quæ dicta sunt (de scrutinio, Baptismo, Capitulo, & c. celebradis) præstarent, præterquam quòd correctionem, excommunicationis, ac suspensionis sententiam, ob bonum pacis, Pontifex sibi ipsi referuare voluerit.

S. F. M.

SUMMARIUM.

1. *Cardinales Romana Ecclesia ordinariam & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in ecclesiis sui tituli.*
2. *Mortuo Pralato, seu vacante pralatura, administrat & iurisdictionem exercet Capitulum Cathedrale, ecclesia, & ecclesiarum aliarum omnimodè exemptarum.*
3. *Exercet eandem iurisdictionem Capitula ecclesia Collegiata, si ipsi & Pralato simul iurisdictione competit.*
4. *Si Pralatus ecclesie Collegiatae secularis non exemptae, in Clericos iurisdictionem obtinet, vacante pralatura, non transit ea in Capitulum, sed in Episcopum.*
5. *Idem fit vacante pralatura regulari; si Monasterium enim Episcopo subiectum est, ad ipsum etiam, & non ad Capitulum seu Conuentum transit.*
6. *In absentia Pralati, eius potestas alteri delegari potest, cui perinde obediendum, atque ipsi Pralato, in huius autem presentia, an Prior claustralis, Decanus, Rector chori, & similes Officiales habeant propriam iurisdictionem & potestatem precipiendi in virtute obedientiae, pendet ex cuiusque Religionis statutis & consuetudine.*
Iure tamen communi talem potestatem hi non habent, licet habeant aliquam, vi cuius in conscientia eis obediri debet.

NOTANDUM I. Cardinales Ecclesie Romanæ ordinariam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesiis sui tituli, & consequenter in parochias, ac capellas, & Clericos earundem, quæ ecclesie illi principali pleno iure subiectæ sunt. Ita notauit Innoc. in c. 2. de Capellis Monachorum, Ioan. Monachus in c. vn. hoc tit. in 6. Abb. hic n. 1.

NOTANDUM II. Mortuo Pralato, seu vacante pralatura, Capitulum administrat, & iurisdictionem exercet. Id verò indubitatum est de Capitulo Cathedrali, & habetur in c. cum olim, 14. hoc tit. Sed ex textu nostro colligitur, idem sentiendum esse

de Capitulo Ecclesie non Episcopalis, adeò, vt nisi Papa sibi specialiter hic reseruasset, spectato ipso communi iure, Capitulum etiam excommunicationis sententiam, aliafæ censuras ferre potuisset in subditos contumaces, sicut rectè hic obseruat Abb. n. 2. Sed aduerte; id solum ex textu isto ostendi de Capitulis Ecclesiarum omnimodè exemptarum, & quasi Episcopalem iurisdictionem habentium, de quibus proinde affirmandum est, quòd vacante Sede omnem iurisdictionem, & administrationem habeant, sicuti Capitula Cathedralia. Idque etiam in praxi obseruatur.

Sed dubium restat de Capitulis Ecclesiarum non exemptarum, seu illæ seculares sint, seu regulares, vtrum vacante pralatura, iurisdictione transeat ad Capitulum, seu Conuentum: v. g. Si Abbas mortuus sit, vtrum Conuentus, vel qui Conuentui preest, claustralis Prior aut Decanus, regularem inobedientem censurâ contingere, vel quippiam in obedientiæ virtute eidem precipere possit. Eademque difficultas est, si Præpositus aut Decanus Collegiatae Ecclesie secularis iure communi, aut speciali iurisdictionem dignitati suæ annexam in clericis priuatiuè, ita vt Episcopus, in prima instantia, dummodò officium suum præstet, immiscere non possit, an vacante pralatura, talis iurisdictione transeat ad Capitulum.

Hanc q. latè tractat Felin. in hoc c. & pluribus rationibus ostendit, spectato iure communi, negatiuè respondendum esse; nihilominus affirmatam partem magis communiter teneri, quòd etiam in his inferioribus, & Episcopo subiectis Ecclesiis, vacante Sede, Capitulum seu Conuentus iurisdictionem exercet, sicuti inter alios docuerunt Dominicus in c. 2. col. de testam. in 6. Ioann. Franciscus Pavinus de potestate Capituli, vacante Sede, prælud. 6. n. 16. Respondeo & Dico I. Si iurisdictione Prælati & Capitulo Ecclesie Collegiatae competat simul & coniunctim, tunc mortuo Pralato, Capitulum iurisdictionem exercet. Ita bene docet Felinus hic, vers. Secundus casus, & sumitur ex c. vn. Ne Sede vacante, in 6.

Dico

4 Dico II. Si Prælati Ecclesiæ secularis Collegiæ, quæ exempta non est, iurisdictionem in Clericos obtineat, vacante prælatura, non transit ea in Capitulum, sed in Episcopum. Hæc videtur esse sententia Innoc. in c. cum accessissent, n. 3. de Constit. Felini in 4. & 5. motiuo. Probatur: Si enim Prælati inferior, Episcopo subiectus iurisdictionem per consuetudinem legitime præscriptam comparauit, cum præscriptio sit stricte iuris, dicendum est, potestatem, quam Prælati acquisiuit, ad Capitulum non transire; nisi & ipsam in præscripta consuetudine sit, vt vacante sede iurisdictionem exercere queat. Sin autem speciali iure seu priuilegio Prælati concessa sit iurisdictione, tum nota est regula Canonistarum, ad Capitulum transire ea, quæ Prælati non communi, sed speciali iure concessa sunt, vt hic Felinus notat mot. quinto, & dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 14.

5 Dico III. Neque vacante Prælatura regulari Capitulum seu Conuentus iurisdictionem exercet, sed ea ad Episcopum spectat, si Monasterium ipsi subiectum sit. Ita sentit Imola hic, Ioan. Andr. in c. 2. n. 3. de testam. in 6. ibid. Archidiaconus, quem allegat Felinus hic, motiuo 4. vbi ait, incautè locutum fuisse Dominic. in c. 2. de testam. in 6, quòd secundum iura Conuentus succedat Abbati in iurisdictione, nam secundum Archidiacon. & Ioan. Andr. *Episcopus habet curam status Monasterij, vacante sede, & ipse dat administrationem in temporalibus, & spiritualibus.*

Id verò probatur primò: Quia Episcopus habet omnem iurisdictionem in Monasteria non exempta: tamen verò eam exercere non possit in ijs, quæ pertinent ad disciplinam regularem, dum Prælati officio suo fungitur: eo tamen deficiente, ad ipsum Episcopum deuoluitur iurisdictionis exercitiu, iuxta ea quæ dicta sunt in c. quanto, 7. & c. penult. de offic. Ordinarij.

Secundò: Prælati Ordinis Religiosi potissimum subduntur ratione voti obedientiæ, secundum S. Th. in 2. d. 44. in fine. Atqui obedientiæ vorum præstatur ipsi Ordinis Prælati, non autem Capitulo, aut Priori clau-

strali. Ergo mortuo Prælati, potestas & iurisdictione Prælati, per quam in virtute obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis præcipere potest, non transit ad Capitulum, vel Seniores, seu Priorem.

QUÆRET aliquis: Vtrum Prælati Ordinis potestatem & iurisdictionem suam alteri delegare possit, cui proinde etiam ex vi voti obediri debeat. Resp. In absentia Prælati haud dubiè potestatem delegari posse alteri, cui tanquam vices tenenti in Monasterio perinde obedendum sit, atque Prælati ipsi. At verò in præsentia Prælati, ytrum videlicet Prior claustralis, Decanus, Rector chori, & similes Officiales seu Vicarij propriè dictam iurisdictionem, atque potestatem præcipiendi in virtute obedientiæ habeant, id ex cuiusque Religionis statutis, & consuetudine cognoscendum est. At verò iure ordinario, & communi negandum est, in his esse talem potestatem, vt bene tradit Suarez cit. c. 11. n. 19. Nihilominus negari non debet, quin dictæ personæ iuxta potestatem sibi commissam, vim aliquam gubernandi ac præcipiendi habeant, ita vt obediri illis etiam in conscientia debeat; sicuti & Ludimagistro in schola, patrifam. in domo; licet propriè dicta iurisdictione careant. Idemque sentiendum, si plures Religiosi simul mittantur ad peregrinationem, vel ad studia literarum, & vnus tanquam senior, aut maturior alijs præficiatur, Quare hinc etiam inferitur, quòd mortuo Prælati, qui Prior, Senior, aut Decanus est in Capitulo, iuxta cuiusque Ordinis, aut Monasterij consuetudinem, alios gubernare, ijsque præcipere possit, tamen propriè dictam iurisdictionem non exerceat, cum neque verè Prælati, aut Viceprælati sit: nisi moris esset in religione, seu regula, & statuta Ordinis exigant, vt vacante Prælatura, seu Prior, seu alius locum Prælati teneat, interim dum alius constituatur. Ratio reddi debet: Quia Religiosi promittunt obedientiam secundum Ordinis regulam, atque statuta laudabiliter recepta.

CAPITVLVM XII.

Dilecta.

PARAPHRASIS.

Licet Abbatisa Canonicas suas, & Clericos iurisdictioni suæ subiectos excommunicare nequeat, potest tamen ipsis præcipere, atque ob inobedientias, & culpas punire, etiam interdicens eis officium, atque fructibus beneficiorum priuando.

SUMMARIUM.

1. Abbatisa & Priorissa iurisdictionis spiritualis, eius præsertim, quæ clavis est ad ligandum & soluendum, incapaces sunt.
2. Vsum tamen quendam iurisdictionis huius habent ex commissione Prælatorum, adeo, vt Clericos ad beneficia pleno iure sibi subiecta insinuare possint.
3. Potest etiam Abbatisa, seu regularis Præposita, Monialibus suis præcipere in virtute S. Obedientia, seu S. Spiritus.
4. Iurisdictionis spiritualis differt à potestate gubernatiua spirituali, hanc, non illam prædicta Præposita habent.

NOTANDVM Vn. Abbatisa, & Priorissa iurisdictionis spiritualis, eius præsertim, quæ est clavis Ecclesiasticæ ad ligandum & soluendum, incapaces sunt: quamobrem nec excommunicare, nec aliam propriè dictam censuram ferre queunt. Nihilominus ex commissione Prælatorum, habent vsum quendam, seu exercitium spiritualis iurisdictionis, adeo, vt Clericos ad parochias, & alia sibi pleno iure subiecta beneficia instituant, & alia præsent, de quibus plenè dixi in lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 3. & 4. & legi potest Syl ver. Abbatisa, q. 2. & 3. Azor tom. 1. lib. 13. c. 10. quest. 6.

Hic quæstio tractanda est; Vtrum Abbatisa, seu regularis Præposita Monialibus suis præcipere possit in virtute S. Obedientia, seu in virtute S. Spiritus. Negat Sanchez lib.

6. moral. c. 1. n. 21. & alij apud ipsum. Nam præceptum imponere in virtute sancti Spiritus, vel in virtute S. Obedientia, pertinet ad gubernationem spiritualem, Atqui Abbatisa non habet gubernationem spiritualem, sed tantum temporalem, & politicam, sicuti quæuis materfamilias, vt etiam Sotus in 4. d. 20. q. 1. a. 4. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 15. a. 1. & alij communiter tradunt. Exinde infert Sanchez n. 30. Tametsi aliqua materia capax esse possit obligationis sub mortali, si præcipiatur à Prælato Ordinis, vel Episcopo, quippe qui finem alio rem supernaturalem spectat, non ideo consequens esse, vt eadem materia sufficiens sit, si præcipiatur à Præposita seu Abbatisa, quippe minus præstatem, vid. temporalem finem per se, ac directè intendente. Nam ob hanc ipsam causam auditio Missæ v. g. ab ecclesiastica potestate præcipi potest sub peccato mortali, cum omissione etiam vnus diei grauis factura spiritualis animæ inferri possit. Sed in ordine ad finem politicum, quem per se ac directè spectat, v. g. Magistratus Academicus, & similiter Abbatisa, seu Præposita, non potest hæc res adeo grauis videri, & tantæ obligationis capax. Contrarium docet Azor tom. 1. lib. 13. c. 10. q. 7. & melius Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 11. n. 20. quæ sententia mihi nunc placet. Nam reuera Moniales volunt obedientiam Abbatisa, tanquam Præfectæ, ac matri suæ spirituali. Quare negari debet, quod gubernatio, seu potestas præcipiendi in Abbatisa residens, per se ac directè non spectet finem supernaturalem, seu quod Abbatisa Moniales suas ad regulæ, & votorum suorum obseruationem compellere non possit, per se atque directè propter perfectionem earum spiritualem.

Si obijcias: Abbatisa non habet propriè spiritualem iurisdictionem, quamobrem excommunicare non potest: Ergo neque habet potestatem seu gubernationem spirituales, ita vt præcepta spiritualia, seu in ordine ad finem spirituale imponere queat. Resp. negando conseq. Pro cuius intellectu aduertit, iurisdictionem spiritualem differre à potestate gubernatiua itidem spirituali; & has potes

potestates interdum coniunctas, interdum vero separatas esse. Coniunctas sunt in Prælo Ordinis: Nam is in primis ob votum obedientiæ, sibi vt patri spirituali præstitum, potestatem habet Regularibus imponendi præcepta spiritualia, ac præcipiendi in virtute S. Spiritus, &c. Deinde verò habet iurisdictionem spiritualem atque ecclesiasticam; cuius fundamentum, seu potius occasio est trium votorum ab Ecclesia acceptorum editio: sed proximè ac directè ea potestas non prouenit à votentibus, sed à Superioribus Ecclesiæ Prælati, ipsòque Sum. Pontifice, vnde omnis ecclesiastica iurisdictione, ligandi ac soluendi potestas conueniente ordine deriuatur. Separatæ autem essent istæ duæ potestates in casu, si laicus v.g. aut clericus secularis Confessario, tanquam spirituali Patri suo, obedientiam voueret, tum Confessarius licet iurisdictionem ecclesiasticam in eum nò haberet, vt v.g. eum excommunicare posset, aut in eius votis dispensare, &c. quamobrem neque Prælati eius esset, nihilominus spiritualia ei præcepta imponere, atque in virtute S. Obedientiæ ipsi, quæ ad salutem animæ spectant, præcipere posset. Ita nos dicimus de Abbatibus ac Prioribus, quamuis ipsæ habeant saltem vsum quendam seu exercitium iurisdictionis spiritualis, ita vt quodammodo Prælati dici mereantur: quamuis earum prælatura & potestas multum dependens, & subordinata sit Prælati viris.

CAPITVLVM XIII.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus, & Patriarcha Grædensis exigebat à Castellano episcopo iuramentum ad plura se extendens, quam alioquin Suffraganei episcopi metropolitanis suis iurare cõstuerunt. Quod cum viderent Archidiaconus, & Capitulum Castellani, attendentes exinde Ecclesiæ suæ præiudicium generari posse, ad Sedem Apostoli-

cam appellarunt. Recepta appellatione mandat Gregor. IX. vt Grandensis Patriarcha contentus formam canonicam iuramenti, quod Pontifex ab Episcopis immediatè sibi subiectis recipere solet, c. Ego N. 4. de iureiur. nihil vltra eam formam prætextu iuramenti, quod propter consuetudinem se recepisse asserit, à dicto Episcopo exigat; sciens, quod Papa illum à iuramento, quoad alios vltra communem formam contentos articulos absoluerit, vel potius non obligatum esse declararit.

SUMMARIVM.

1. Si Episcopus ecclesiam alteri subycere, vel onus quodlibet imponere attentet. Capitulum se opponere, & appellare potest. Imò quibus eius ecclesia Clericus, & in horum defectu Superior ex officio succurrere debet.
2. Simile est, si dominus loci territorium aut iurisdictionem alteri subycere velit. subditi enim & vasalli contradicere possunt.
3. Si quis contra grauamen extraiudicialiter appellauit, quæ postea contra appellationem acta, vel attentata sunt, iudicis officio rescinduntur, si quidem causa appellationis iusta & probabilis fuerat.
4. Iuramentum non obligat cedens in præiudicium Ecclesiæ, vel personæ tertie.
5. Vt consuetudinis diuturna obtineri potest, vt Metropolitano Coepiscopus iuramentum obedientiæ præstare debeat.

Pro intellectu duo aduertenda sunt: I. Quod olim Episcopi Metropolitano suo, à quo confirmationem accipiebant, iuramentum obedientiæ ac fidelitatis præstare soliti sint, nunc verò id iuramentum præstant Pontifici, vt Abb. hic notat n. 3. II. Non satis ex textu apparet, vtrum Patriarcha ab Episcopo Castellano iuramentum receperit ante interpositam appellationem; an verò post appellationem. Si postea accepit, tum

Aaaa 2 ver-

verbum *exigeres* propriè afficit ipsum iuramentum, ut sensus sit; cum Capitulum & Archidiaconus viderent, quòd Patriarcha postularet sibi tale iuramentum præstari, appellarunt, ne id fieret: Sed non obstante appellatione præstitum fuit iuramentum. Sin autem iuramentum fuit factum ante appellationem, tum verbum *exigeres* refertur ad effectum iuramenti, ut sensus sit; cum viderent exigere, quod iuratum erat, cum Ecclesiæ suæ præiudicio, ad Sedem Apostolicam appellasse.

1 NOTANDVM I. Si Episcopus Ecclesiam alteri subijcere, aut quodlibet onus imponere attentet, Capitulum se opponere, & appellare potest: Imò non tantum Capitulum, sed etiam alius quilibet eius Ecclesiæ Clericus, c. si quis, 6. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Quòd si omnes tacuerint, Superior ex officio succurrere debet: cum agatur causa publica Ecclesiæ, sicuti notat Imola hic n. 7. Abb. n. 3. Felinus §. Quilibet de Clero. Et simile esse aiunt, si Dominus loci territorium, aut iurisdictionem alteri subijcere velit, quòd subditi & vasalli contradicere possint, cum ipsorum interfit, ne pluribus dominis seruiant, maioribusque oneribus grauentur, ut Imola hic notat n. 5. Abb. n. 1. arg. c. vlt. hoc tit. iun. Gl. vbi idem Abb. ait: Quòd dominus non potest componere super iure superioritatis in præiudicium subditorum, atque consensu eorundem. Nam interest eorum non habere multos dominos, aut dominum non mutari. Merito autem opponebant se hoc loco Canonici, quia iuramentum exigebatur ab Episcopo prætextu consuetudinis; consequenter ita, ut esset onus reale ipsius Sedis Episcopalis, atque ad successores transiens, sicuti ex Goffr. idem Imola aduertit hic n. 8.

3 NOTANDVM II. Si quis contra grauiamen extraiudicialiter appellauit, quæcunque postea contra appellationem acta vel attentata sunt, Iudicis officio rescinduntur, si causa appellationis iusta ac probabilis fuerat. Ita tradit Imola hic n. 12. Felinus n. 4. vbi latè profequitur, quòd remedium reuocandum attentorum melius sit, quàm inter-

dictum vnde vi, seu possessionis recuperandæ: nam appellanti sufficit ostendere, quòd tempore appellationis fuerit in possessione: nam hoc ostenso, etiam summaria cognitione, contra quemcunque possessorem reuocandus est in pristinum statum, reuocatis omnibus attentatis post appellationem. Dixi de hac re in qq. disput. de elect. q. 115, & docent DD. in c. causis, 30. de elect.

NOTANDVM III. Iuramentum non obligat, quatenus cedit in præiudicium, seu iniustam læsionem Ecclesiæ, vel personæ tertię. Nam sicuti simplici promissione se ipsum quisque obligare potest, non alium, neque Ecclesiam suam sine debita solemnitate; ita neque accessione iuramenti: Nam iuramentum retinet naturam actus, cui adiungitur, uti docent DD. in l. vlt. C. de non numerata pecunia.

Quæri potest hoc loco: Num Metropolitanus per consuetudinem diuturnam obtinere possit contra Coepiscopum, ut in sui institutione iuramentum obedientiæ secundum certam formam præstare cogatur. Arbitror esse affirmandum, cum Abb. hic, in Gl. penult. Verùm in hoc casu opus erat consuetudine immemoriali, qualis hic defecerat, aut ostendi nõ poterat: Cum enim canones certam formam iurandi præscriberet, ideo Metropolitanus aliud iuramentum exigens habebat sibi ius commune cõtrarium; consequenter opus erat ostendere consuetudinem, cuius initij nulla memoria existeret, iuxta c. 1. de præscript. in 6.

CAPITVLVM XIV.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Vacante Prælatura Monasterij Saluatoris Messanensis, Conuenticales in Abbatem elegerunt personam indignam: quamobrem pro ea vice eligendi potestate priuati erant. Sed Gregor. IX. ex gratia speciali concessit illis eligendi, seu postulandi facultatem; Adijciens mandatum, ut, quia eo tempore Ecclesiæ Cathedralis

Messan.

Messanenſis vacabat, Abbatem à ſe electum præſentent Capitulo Meſſanenſi, vt electionem confirmet, vel infirmet, ſic- uti de iure fieri oportet.

S V M M A R I V M.

1. Capitulares etiam inferiorum eccleſiarum eligentes indignum in Prælatum, ipſo iure pro vna vice priuantur eligendi poteſtate.
2. Vacante Sede Episcopali, Capitulum confirmat & infirmat electionem Abbatum, & aliorum Prælatorum, qui non exempti ſunt. Inſtituit etiam præſentatos ad beneficia præſentata, non autem ea conferre poteſt, quæ libera ad Episcopum ſpectantis collationis ſunt.
3. Neque eorum beneficiorum collationes, aut Prælatorum electiones inſtituere poteſt, quæ ad Episcopum deuolutæ ſunt.
4. Capitulum Cathedralis eccleſiæ, Sede Episcopali vacante, exercet omnem iuriſdictionem Episcopalem ordinariam, tam temporalem, quàm ſpecialem, præterquam quod alienationes & donationes facere, & quæ ardua ac præiudicialia eſſe poſſunt, expedire nequeat.
5. Poteſt Capitulum, vacante Sede, in caſibus Episcopaliſ ſiſ dispensare & abſoluere, & per conſequens Penitentiarium conſtituere, qui à peccatis reſeruatib abſoluat.
6. Poteſt Statuta obligantia totam diœceſin faceresque perpetua ſint, & durent etiam conſtituto Prælato, qui tamen ea reuocare poteſt, ſi velit, modo in ea non iurari.
7. Poteſt etiam compellere executores teſtamentorum ad exequendum, eos punire, & ab iſ rationes exigere.
8. Indulgentias dare non poteſt.
9. Neque onerare Episcopatum pecunijs mutuo acceptis, niſi utilitas & magna neceſſitas ac euident ad hoc cogat.
10. Non poteſt Capitulum eccleſiæ regula-

ria Cathedralis Religioſi ad Monaſterium Sede vacante admittere; per conſuetudinem tamen hanc poteſtatem acquirere poteſt.

11. Reſignationes beneficiorum abſolute facta à Capitulo, vacante Sede, recipi non poſſunt.
12. Poteſt Capitulum dare Abbati, vel ſimili Prælato licentiam tranſeundi ad Prælaturam alterius diœceſis.
13. Nomine cauſarum arduarum, quæ vacante Sede à Capitulo expediri non poſſunt, intelliguntur ea, quæ grauias & ſecundum conſuetudinem eccleſiarum ſolis Episcopis competere cenſentur; vt ſunt Synodum congregare, diœceſin viſitare, Capitulum inſtituere &c. & hæc extra neceſſitatis caſum Capitulo non competunt.

NOTANDVM I. Non tantum Eccleſiæ Cathedralis, ſed etiam inferiorum Eccleſiarum Capitulares ipſo iure eligendi pro vna vice poteſtate priuantur, ſi perſonam indignam in Prælatum eligant. Ita ſumitur ex hoc e. ſecundum communem eius intellectum.

NOTANDVM II. Vacante Sede Episcopali, Capitulum ordinariam Episcopalem iuriſdictionem exercet: quàm obrem electos Abbates, & alios Prælatos non exemptos confirmat, vt hic apparet, & præſentatos à patronis inſtituit, c. 1. de inſtit. Sed quæ libera ad Episcopum ſpectantis collationis beneficia ſunt, Capitulum vacante Sede conferre non poteſt, cit. e. 1. Quia electos confirmare, & præſentatos inſtituere, ſi idonei ſunt, neceſſitatis actus ſunt: Sed libera collatio donationem magis continet, quæ Sede vacante Capitulo interdicta eſt. Quam rationem affert Gl. in cit. e. 1. ver. non poſſit. Abb. hic col. 2. argum. e. vlt. de offic. Vicarij, in 6. Rebuffus in praxi tit. de deuolut. n. 101. Garcias de benef. p. 5. e. 7. & ſeqq. vbi generalem limitationem comprobat: Quotieſcunque collatio beneficij, alioquin non patronati, neceſſaria eſt, vt quia certæ perſonæ, aut alicui ex

certa familia conferri debet, à Capitulo fieri posse.

NOTANDUM III. Capitulum vacante Sede beneficiorum collationes aut Prælatorum electiones instituire non potest, quæ ad Episcopum deuolutæ sunt. Id docui in qq. de elect. q. 102. & tradit hic Abb. Pavinus de potestate Capituli vacante Sede p. 2. q. 2. Rebuffus in praxi tit. de deuolution. n. 93. contra Ioann. Andr. c. quamquam, de elect. in 6. Anchar. in c. vn. hoc tit. in 6. Et sumitur ex hoc c. Nam alioquin Pontifex non præiudicasset Capitulo Messanensi, si propter delictum Conuentus electio Abbatis ad ipsum pertinuisset: Non enim facile gratiam Pontifex conferre solet cum derogatione iuris alieni. Sed quia Sedes tunc vacabat, ideo ne Abbatis electio diu differretur, Pontifex ex gratia permisit Conuentui nouam electionem. Et confirmatur hæc doctrina ex c. vn. Ne Sede vacante, in 6. vbi regula negatiua habetur, quod beneficia ad Episcopi collationem spectantia Sede vacante Capitulum conferre non possit: neq. in iure reperitur exceptio aliqua quoad casum istum deuolutionis. Accedit, quod Pius V. in Bulla 161. quæ incipit: *Santissimi*, omnia beneficia, quorum collatio ad Episcopum quomodolibet pertinet, vacante Sede sibi reseruauit.

Cæterum, cum de potestate Capituli varia dicant Doctores, vt videre licet apud Abb. & Felinum hic, Ioann. Franc. Pavin. de offic. & potest. Capituli Sede vacante, Quarantam in Bullario, ver. Capitulum Sede vacante, Barbosam de potest. Episc. p. 3. alleg. 73. placet de ea re generalem Regulam statuere. Capitulum Sedis Cathedralis vacante Sede exerceat omnem administrationem, & iurisdictionem Episcopalem ordinariam tam temporalem, quam spirituales; præterquam quod alienationes, & donationes facere non possit, neque quæ ardua, & præiudicialia esse possunt, absq. necessitate ab eo expediri. Videri potest Ioan. Franc. Pavinus de potest. Capituli Sede vacante. q. 1. & seqq. Dixi primò; Quod pos-

sit Capitulum exercere iurisdictionem Episcopi ordinariam: siue ea ex iure communi competat, siue per consuetudinem acquisita sit, vt hic Abb. docet q. 10. siue ea speciali iure ac priuilegio in perpetuum concessa sit Episcopis, ita vt in ordinariam transeat, cuius exemplum habes in Concil. Trident. sess. 24. c. 6. de reform. Nam in tali potestate, quæ Episcopis iure speciali ordinario competit, Capitulum succedere, plerique DD. docent apud Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 2. n. 10. Barbosam in remiss. super cit. c. 6. Trident. Secus est, si Episcopis absolutè & in perpetuum aliquid commissum sit, vt expediant autoritate Apostolica, seu vt delegati Sedis Apostolicæ: talis potestas ad Capitulum non transit; nam Capitulum succedit Episcopo in iurisdictione ordinaria, non in delegata. Si autem Episcopis per viam iuris in perpetuum quippiam commissum sit, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati expediant, censetur esse potestas non ordinaria, sed delegata, secundum Gl. in c. ad abolendam, 9. ver. delegatis, de hæreticis, Abb. hic dub. 5. Barbofa cit. ver. Capitulum in princip. & de potest. Episcop. p. 3. alleg. 92. Garcias de benefic. p. 5. c. 7. n. 39. & alij apud Pavinum p. 1. q. 10. Sanchez cit. n. 10. Nam hoc ipso quod autoritate Apostolica procedere debent Episcopi, non agunt ex proprio seu ordinario Episcopali officio, adeoque non iure ordinario, sed delegato, argum. c. vlt. de offic. Ordinarij. Exemplum afferunt Lopus, & Ancharan. in c. vn. hoc tit. in 6. ex Clem. 2. de statu Monachorum, vbi statuitur, vt Ordinarij locorum Monasteria Monialium, quæ exempta non sunt, autoritate ordinaria, quæ autem exempta sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, singulis annis visitent: Et plura alia per Trident. Concil. Episcopis concessa sunt, vt in Religiosos exemptos exercere valeant, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, de quibus dixi in c. quantò. 7. de offic. ordinarij.

Potest autem Capitulum vacante Sede in casibus, qui vel per se, vel per accidens, (videl. propter difficultatem adeundi Pontificem)

tificem) Episcopales, seu ordinariæ Episcopalis iurisdictionis sunt, dispensare, & absolueri; consequenter Pœnitentiarium constituit, qui à peccatis referuatis absoluat, ut notauit Abb. in c. his quæ, in fine, hoc tit. Quaranta cit. ver. Capitulum Sede vacante, q. 3. & constat ex c. vn. hoc tit. in 6.

Potest item Capitulum vacante Sede facere statuta obligantia totam diœcesin, ita ut perpetua sint, & durent etiam constituto Prælato, qui tamen, si velit, eadem reuocare poterit: cum pari, videl. Episcopali iurisdictione præditus sit; nisi in illa iuraret: dummodo honesta & laudabilia sint, neque Ecclesiæ, aut Episcopalis iuribus iuste acquisitis præiudicantia: alioquin enim non valêt iuramentum; cum Canonici vacante Sede nihil possint statuere de rebus Episcopatis, in ipsius præiudicium, c. sicut, 27. iun. Gl. ver. in c. damnus, de iureiur. & tradit Felinus in c. cum omnes, n. 10. de Constit. Pauinus p. 1. q. 6. n. 8.

7 Potest etiam Capitulum vacante Sede compellere executores testamentorum ad exequendum, & negligentes punire, atque rationes ab eisdem exigere, sicut Episcopi possunt: cum hæc ad ordinariam eorum iurisdictionem spectent, c. tua, 17. c. Ioannes, 19. ubi Couar. n. 1. de testament. Cardinal. Zabarel. in Clem. vn. col. 2. ver. Quæro cum vario modo, de testament. Ancharan. in c. vn. hoc tit. in 6. Pauinus in cit. tract. p. 2. Quaranta q. 7.

8 Idverò magis dubitatur, Vtrum Capitulum vacante Sede Cathedrali indulgentias dare possit. Affirmat Abbas hîc q. 13. Pauinus de potest. Capituli Sede vacante, p. 1. q. 4. Sed alij Canonistæ, ut Pauinus testatur, communiter negant: Quia, ut Ecclesiæ praxis testatur, potestas dandi indulgentias Episcopis concessa est ratione dignitatis, ac præminentia Episcopalis; quare alijs qui Episcopi non sunt, licet Episcopalem vel quasi Episcopalem iurisdictionem exercent, non conceditur, uti notauit etiam Suar. p. 3. t. 4. disputat. 54. f. 4. n. 5.

Dixi secundo: Quod Capitulum dona-

tiones, & electiones bonorum, seu iurium Episcopatum Sede vacante instituere non possit, c. si qua de rebus, 42. causa 12. q. 2. & dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. n. 14. Sed neque pecunijs merito acceptis Capitulum onerare potest Episcopatum; nisi utilitas, ac necessitas magna & euidentis sit: tunc id facere potest, ita ut successor obligetur, tanquam cuius negotium utiliter gestum fuerat, ut docet Gl. recepta in c. cupientes, 16. §. ad hæc. ver. aliunde, de elect. in 6. Pauinus p. 2. q. 8. n. 20. Gutierrez lib. 1. canon. qq. c. 1. n. 132. Quaranta loco cit. q. 6.

Deinde, sicuti Capitulum Sede vacante non potest beneficia secularia conferre, quæ ad Episcopi collationem, præsentationem, vel electionem spectant, c. 2. Ne Sede vacante; ita nec potest Religiosos ad Monasterium admittere, si Ecclesiæ regularis Cathedralis Capitulum sit, argum. c. vn. Ne Sede vacante in 6. & tradit Gl. in c. vlt. ver. creari, de regular. in 6. ibid. Dominicus in fine, Syl. ver. religio, 3. q. 13. Sanch. lib. 5. moral. c. 4. n. 67. Pauinus in cit. tract. p. 1. q. 8. n. 8. Quod Capitulum, seu Conuentus regularis siue Ecclesiæ Cathedralis sit, siue non Cathedralis, vacante Sede seu Prælatura, non possit Religiosos ad professionem admittere: quandoquidem talis admissio seu creatio Monachi, spectato communi iure, ad solum Abb. spectat, argum. c. nullam, 9. causa 18. q. 2. & c. Ad Apostolicam, 16. de Regular. & ex communi docet Sanchez cit. c. 4. n. 64. Verum per consuetudinem Conuentus acquirere potest ius ad professionem admittendi: Quod maxime locum habet, si Ecclesia Cathedralis sit, cuiusque Episcopus non professus: vel si Monasterium incorporatum, vel commendatum sit Prælato seculari, qui fortasse nec residet in Monasterio, facile, inquam, seu consuetudine seu priuilegio, acquiri potest Conuentui, vel ei, qui Prior aut Præpositus est Conuentui, ut Monachos creet, seu ad professionem admittat.

Denique resignationes beneficiorum, si absolute & simpliciter fiant, à Capitulo vacante

vacante Sede recipi non possunt, spectato communi iure. Ita docet Flaminius de resignat. lib. 7. q. 23. n. 37. Rebuff. in practi. tit. de deuolut. n. 59. q. 9. limit. 5. argum. c. vn. §. cū verò, Ne Sede vacante, in 6. vbi dicitur, quòd Capitulum in beneficijs ad Episcopi collationem spectantibus se introumittere non possit: Accedit, quòd resignationem beneficii accipere, est gratia seu remissio obligationis, argum. c. admonet. 4. de renunt. & ex communi tradit Garcias de benef. p. 5. c. 7. n. 2. Ergo à Capitulo fieri non debet; cū vacante Sede iura Episcopalia diminui non debent. Secus verò dicendum, si collatio beneficii ad Episcopum & Capitulum simul pertineat, vel si resignatio accipiatur propter crimen commissum, seu in pœnam; aut ob aliquam necessitatem; vel si causa permutationis: his casibus Capitulum potestatem dare poterit, vt iisdem DD. notant. Atque ob eandem causam Capitulum, vacante Sede, beneficiorum vniōnes instituere, quin & beneficia diuidere potest: quia eiusmodi propter vtilitatem Ecclesie, seu ob causam rationabilem fieri solita ad Episcopalem iurisdictionem spectant: Ergo à Capitulo, vacante Sede, expediuntur; dummodò eiusmodi vniō, aut diuisio non per se tendat in Capituli vtilitatem; neque per eam iuri Episcopali præiudicetur, vt dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 9. n. 6.

12 Sed numquid Capitulum vacante Sede licentiam dare potest Abbati, vel simili Prælato transeundi ad Prælaturam alterius diocesis. Gl. hic negat ver. Capitulo, eò quòd hæc sit veluti species quædam alienationis. Sed præstat, vt affirmemus cum Abb. hic dub. 2. Ioann. Andr. c. si Abbatem, 36. de elect. in 6. Pauino in cit. tract. p. 1. q. 8. n. 2. Nam hæc non est propriè alienatio, vt colligitur ex c. si Religiosus, 27. §. Quia verò, de elect. in 6. Ergo locus est regulæ, quòd Capitulum succedat in potestate ista; eum ad Episcopalem iurisdictionem spectet.

13 Tertio dixi in regula: Quòd quæ ardua sunt, &c. Capitulum absque necessitate expedire non possit. Quòd non ita generali-

ter accipi debet: quasi causas arduas Capitulum vacante Sede expedire nequeat, cū talem absolutam prohibitionem in iure non reperiamus. Etenim causæ matrimoniales graues, & arduæ censentur, c. 1. de consang. & affinit. & tamen vacante Sede Capitulum eas cognoscit, argum. c. veniens, 7. de eo qui duxit, & docet Pauinus q. 10. n. 8. Quaranta ver. Capitulum Sede vacante. q. 5. Sed debet intelligi, quòd quæ grauior, & secundum consuetudinem Ecclesiarum, solis Prælati seu Capituli Ecclesiarum Episcopis competere censentur, vt Synodum congregare, diocesis visitare, charitatiuum subsidium postulare, Capitulum instituere non possit; nisi necessitas cogat, sicuti de visitatione in necessitatis casu tradit Pauinus p. 1. q. 7. Barbosa de potest. p. 3. allegat. 73. n. 24. Et de subsidio charitatiuo docet idem Pauinus p. 1. q. 10. n. 18. De Synodo verò, num à Capitulo vacante Sede congregari possit, tractat idem Pauinus p. 1. q. 7. n. 3. Henricus Bottæus de Synodo Episc. p. 1. q. 6. n. 40. & vterque affirmat. Sed arbitror, eodem modo dicendum esse de Synodo, sicuti de visitatione, absque necessitate instituendas non esse à Capitulo, si paulò post Episcopus instituendus speretur: Secus, si Sedes diu vacatura sit, vt quia Episcopus ab hostibus captus sit, vel si alia necessitas ingruat, vt res moram non patiat, ut res

CAPITVLVM XV.

Statuimus,

PARAPHRASIS,

Statuit Gregor. IX. vt in Ecclesia S. Mariae maioris in Vrbe Clerici alij alios antecendant secundum ordinum gradus, & non quatenus prius recepti sunt: Et similiter in portione beneficii percipienda qui maiores in ordine sunt, etiam si posterius recepti alijs potiores sint; denique vt qui in minoribus ordinibus sunt, seruitia consueta peragant.

SYM.

SUMMARIUM.

1. *Consuetudo Urbis fuit, ut Clerici minores in Canonicos assumerentur, nulla reddituum portione seu beneficio assignato usque ad tres vel quatuor annos. Et qui maior in his erat ordine, licet postremus esset assumptus, in loco, & portione præferrebat.*
2. *Contraria est multarum ecclesiarum consuetudo, ut Canonici prius recepti, licet maiores sint ordine, in loco, & qui tempore antiquiores, in præbenda præferantur, non habita ratione, an Sacerdotes sint, Diaconi, an Subdiaconi tantum.*

HEc Constitutio localis est, pro Ecclesia Urbis; in qua consuetudo erat, ut Clerici minores in Canonicos reciperentur, nulla eis reddituum portione, seu beneficio assignato, usque ad tres, vel quatuor annos: atque interim seruitia Ecclesiæ peragere debebant, videl. ecclesiam purgare, campanas pulsare, lampades accendere. Cum verò in promotione horum ad præbendas, seu beneficia antea haberetur ratio antiquitatis; ita ut qui prius receptus esset, in consequenda præbenda, seu portione beneficii præferretur; item ut inter ipsos præbendatos, qui tempore priores erant, alios antecederent, sustulit hoc Gregor. IX. & statuit, ut in his non temporis, sed suscepti ordinis ratio haberetur; ut ita ad promerendum ac desiderandum ascensum in ordinibus excitentur, iuxta c. quæris, 6. de ætat. & qualit. ordin. Ita explicat Innoc. hic, & Ioan. Andr. n. 7.

1. Sed contraria est multarum Ecclesiarum consuetudo, ut Canonici prius recepti alios antecedant, licet hi maiores in ordine existant: Item ut qui tempore antiquiores sunt, in assentione præbendarum alijs præferantur, non habita ratione, utrum Sacerdotes sint, Decani, an Subdiaconi tantum. Hanc consuetudinem damnat Abb. hic, quod sit contra Ecclesiæ honestatem. Sed non est audiendus: Tametsi enim consuetudine introduci non possit, ut, si cætera æqualia sint,

Diaconi Presbyteris, & Subdiaconi Diaconis anteferantur, tamen si aliqua honesta & rationabilis prærogatiua adsit, adeoque cætera paria non sint, tum nihil obstat, consuetudinem talem introduci: Est autem temporis, seu antiquitatis prærogatiua admodum rationabilis; ut constat ex reg. 54. *Qui prior tempore, posterior est iure*, & docet hic ex Hostiensis Felinus, argum. c. vlt. de consuet. in 6. ut approbatur consuetudo, ut vacante aliqua præbenda antiquiores Canonici ius optandi habeant, nulla habita ratione sacre ordinationis suæ.

Sed contra textum obijci potest; quod is, qui prius in Canonicum receptus est, alijs postea receptis in assentione præbendæ sit præferendus, iuxta c. quia sæpe, 15. de præb. in 6. & c. dilectus, 27. extra. eod. ubi additur, si secus factum fuerit, quod Canonici interim ex ecclesiæ redditibus providere teneantur, donec ei beneficii præbenda designetur: *Quibus constitutionibus repugnare videtur hoc c. Resp. Non repugnare*: Loquitur enim de clericis minoribus, qui secundum eius ecclesiæ consuetudinem in Canonicos recipiebantur, ea conditione, ut præbendam assequerentur citius, aut tardius, prout spectatis eorū meritis, & ordinis gradu, Ecclesiæ Prælati visum esset. Sed iura superius allegata loquantur, in casu, quo aliquis in Canonicum assumitur, ita ut vel statim ei præbenda assignanda sit, vel cum proximè vacatura est. Videri potest Innocent. hic, & Abb. in fine cap.

CAPITVLVM XVI.

Cum inferior.

PARAPHRASIS.

Cum Archiepiscopus Colocensis ex mandato Pontificis Monasterium quoddam in Firmiensi Archidiaconatu Colocensis diocesis constitutum erexisset in Ecclesiam Cathedralem, Archidiaconus Firmiensis in Episcopum inibi consecratum, & Ecclesiam

B b b b

clesiam

clesiam eius, iurisdictionem exercere ausus fuit. Id absolum esse iudicans Gregorius IX. eò quòd inferior Superiorem solvere, & ligare non possit, sed Superior inferiorem, mandat Archiepiscopo, ut id Archidiacono erga Episcopum & Ecclesiam eius inhibeat, quippe cum à iurisdictione illius ipso facto exempta sit. Si verò per hoc Archidiaconi iura diminuantur, ipsi aliunde in diocesi eadem, ubi expedire iudicauerit Archiepiscopus, compensationem facere debet, tamen sine præiudicio iuris alieni.

SUMMARIUM.

1. *Monasterium erigi potest in Ecclesiam Cathedrali, ita ut eius Prelatus regularis, vel secularis, Episcopus existat, qui hoc ipso exemptus est à iurisdictione Prelati non Episcopi.*
2. *Episcopo nouiter instituto, si Archidiaconus intra fines eius diocesis existat, Archidiaconus subiectus erit.*
3. *Archiepiscopus delinquens in diocesi sui, Coepiscopi, ab eo puniri non potest.*
4. *Puniri tamen potest Episcopus extraneus à Prelato non Episcopo, v.g. Abbate, vel Prapósito exempto, si in huius territorio delinquat, siq; ratione delicti eius subditus.*
5. *Hæc duo ordinariè connexa sunt: qui ligare potest, potest etiam solvere, & vice versa.*

NOTANDUM I. Monasterium Religiosi Ordinis erigi potest in Ecclesiam Cathedrali, ita ut Prelatus eius, regularis, aut secularis, Episcopus existat. Ita etiam habetur in c. 1. Ne Sede vacante, iuncto c. nullus, 28. de elect. in 6.

NOTANDUM II. Si Ecclesia Collegiata, aut Conuentualis in Cathedrali erigatur, ipso facto eximitur à iurisdictione Prelati, qui Episcopus non est. Ita Innocent. & Ioann. Andr. hinc n. 1. Abb. not. vlt. Imola n. 2. contra Gl. ver. exemptum. Ratio est: Quia non est conueniens, sed alienum ab

Ecclesiastica bene instituta hierarchia, ut iurisdictioni Episcopalis, quæ superior esse debet, ac veluti culmen Ecclesiasticæ potestatis, subijciatur iurisdictioni inferiori, videl. Archidiaconali.

Corollarium : Si Episcopo nouiter instituto assignetur diocesis, intra cuius fines Archidiaconatus existat, tum Archidiaconus illi subiectus erit, spectato communi iure, argum. c. regenda, 4. causa 10. q. 1. c. cum personæ, 7. de priuileg. in 6. Sin autem Archidiaconatus non comprehendatur in diocesi illius, tum nec Archidiaconus Episcopo, nec Episcopus Archidiacono subiectus erit.

Corollarium II. Si Archiepiscopus delinquat in diocesi Coepiscopi sui, ab eo puniri non potest: quia inferior non potest ligare, aut solvere Superiorem suum: Similiter que si Episcopus delinquat in Archidiaconatu suæ iurisdictioni subordinato. Quare talis causa ad Superiorem Iudicem, videl. ad Papam, vel Metropolitanum deferenda erit, secundum doctrinam Innoc. hic communiter receptam.

Sed id in quaestione est: Si Episcopus extraneus delinquat in territorio Prelati non Episcopi, v.g. Abbatis, vel Prapósito exempti, utrum ab eo puniri possit, siue utrum ratione delicti efficiatur subditus eius. Affirmandum est cum Innocent. hic, Abb. Felino, & alijs: Quia maioratus hic per accidens se habet, ideòque Episcopus in aliena diocesi, aut territorio delinquens quasi persona privata censetur. uti docet Abb. in c. sanè, 3. n. 4. de foro compet. arg. l. 3. ff. de offic. Præsidis, iun. Gl. ver. Præses. Quæmadmodum & Archiepiscopus si in diocesi aliqua extraprovinciam suam delinquat, Episcopi eius loci iurisdictioni subijcitur; ita tamen ut deferatur dignitati Episcopali, & in maioribus causis contra Episcopos non procedatur; cum Sedi Apostolicæ referentur, uti Gl. notauit in c. Inquisitores, 16. ver. Apostolicæ, de hæret. in 6. & dixi lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 7. n. 7.

Nec obstat, si obijcias, quòd maior non subijciatur minori: Ergo nec Archi-

epi-

epiſcopus alieno Epifcopo ſubijci poteſt. Reſpondetur enim, antecedens formaliter intelligendum eſſe, quòd maior ei, cuius maior ſeu Superior eſt, & vno verbo ſuo inferiori non ſubdatur. Archiepiſcopus non eſt maior, ſeu Superior Epifcopi alieni: ergo nihil obſtat, quin ipſi ratione delicti ſubijciatur. *Qua* ratione ait Abb. in c. dilecto, 40. n. 12. de teſtibus; quòd Iudex maior ac dignior poteſtate ſi falſum deponat coram Iudice minore, ſibi tamen non ſubdito, ab ipſo puniri poſſit, quia reſpectu eius habet ſe vt priuata perſona. Præterea dictum illud, Superior ligari, aut ſolui non poteſt ab inferiore, ſeu ſubdito ſuo, limitari debet. Niſi ſe ſponte ei ſubijciat, in caſu, quo id lex ſeu canon permittit. *Qua* ratione Pontifex ſubijcit ſe Confeſſario ſuo in foro pœnitentiæ.

NOTANDVM III. Hæc duo connexa eſſe ſolent: Quòd qui ligare poteſt, idem & abſoluere, ac vice verſa: adeoque eiſdem eſt ligare, cuius & ſoluere. Ita ex textu hoc colligit Gl. communiter recepta, ver. ligare. Sed eſt id intelligendum, ſi alicui ex officio, ſeu iure ordinario horum vnum competere debeat, vt hic notat Ioann. Andr. n. 11. Abb. ad cit. Gl.

Deinde intelligi debet de iuriſdictione fori externi: At verò in foro pœnitentiæ Parochi iure ordinario abſoluunt ab excommunicationibus non reſeruatis, & tamen excommunicare non poſſunt. Sed & in iuriſdictione externi fori regula non eſt vniuerſalis: cum fallat in Legato Papæ à latere, qui ex Prouincia abiens excommunicare non poteſt, & tamen clericorum pœnitentiaſ abſoluere poteſt. argum. c. excommunicatis, 9. de offic. Legati, & notauit Ioann. Andr. cit. n. 11.

CAPITVLVM VI.

Humilis.

PARAPHRASIS.

Controverſia diu agitata fuit inter Burdegalenſem & Bituricenſem Archiepiſco-

pos de iure primatus, quod Bituricenſis ſe habere cõtendebat. Tandem Papa Gregor. IX. prouifionem miſit, per quam partes componerentur: Super ea prouifione iubet Burdegalenſis prouinciæ Prælatorum tunc præſentium, & Capituli Bituricenſis conſenſum requiri, eoque habito prouifionem publicari. Quòd ſi aliqui conſenſum dare recuſent, tum omiſſa publicatione, ſi Prælati ſint, qui cõtadicunt, perſonaliter, ſin alij (vide. Capitula) per Procuratores idoneos ad Sedem Apoſtolicam accedere cogantur, proſecuturi ius ſuũ, & ſi in cauſa ſuccubuerint, parti alteri in expenſis ſatisfaciendi.

S V M M A R I V M.

1. *In cauſa etiam ardua totam prouinciã concernente ſufficit, ſi conſentiant Prælati, & Capitula Cathedralia.*
2. *Si quid ſtatuendum in cauſa ardua, concernente ſtatum Epifcopatus ſeu Eccleſiæ Cathedralis, tum Capituli non tantum conſilium, ſed etiam conſenſus neceſſarius eſt.*
3. *Ad tractatus vniuerſitatis de iure communi (excepta electione Prælati) abſentes vocari non debent, etiam in cauſa ardua; quamuis ſecurius ſit, vt, quatenus fieri poteſt, vocentur.*
4. *Capitula non aliter citari ſolent, niſi vt Procuratorem mittant.*

NOTANDVM I. In cauſa, etiam ardua, totam prouinciã concernente, ſufficit, ſi conſentiant Prælati, & Capitula Cathedralia: hi enim tanquam præcipui, re præſentant totum clerum. Ideo autem ipſorum conſenſus requiritur, quia intereſt eorum, ſi ſubſint alteri Epifcopo, tanquam Primati, cum ab eo viſitari poſſint, vt Gl. notauit, ver. Prælatorum, & conſentit c. vii. de his quæ ſunt à Prælatiſ & c.

NOTANDVM II. Si quid conſtituendum ſit in cauſa ardua, concernente ſtatum Epifcopatus, ſeu Eccleſiæ Cathedralis, tum Capituli non tantum conſilium, ſed etiam conſenſus neceſſarius eſt: Idque propter communionem, quæ eſt capitiſ cum corpore.

pore. Ita sumitur ex hoc c. & notaui Innocent hic n. 2. Ioann. Andr. n. 6. Sed Prælatorum Bituricensis prouinciæ assensus necessarius non erat, quia ipsorum non intererat; seu de ipsorum præiudicio non agebatur.

3 NOTANDVM III. Spectato communi iure, ad tractatus Vniuersitatis (excepta electione Prælati) necesse non est absentes vocari, tametsi causa ardua sit. Ita docet Gl. in c. 2. ver. ipsorum, de testibus, in 6. Abb. hic not. 2. & plerique alij apud Felinum in c. cum omnes, n. 22. de Constit. argum. c. hoc ius, causa 10. q. 2. Sed quia Innocent. in c. 2. circa medium, de noui operis nuntiat. & alij quidam contrarium sentiunt, id eo securius est, ut in rebus valde arduis etiam absentes, quatenus fieri potest, vocentur: quod etiam quibusdam Ecclesijs per consuetudinem receptum est.

4 NOTANDVM IV. Capitula non aliter citari solent, nisi ut Procuratorem mittant. Quia si totum Capitulum personaliter ve-

niret, Ecclesia seruitio suo destitueretur. Ita Abb. hic, ver. Item nota.

CAPITVLVM Vn.
eod. Tit. in 6.

Episcopali.

VAcante Sede Episcopali, Capitulum, seu alius, ad quem tunc Episcopalis iurisdictio spectat (videl. administrator à Papa constitutus, iuxta c. is cui, 42. de elect. in 6. c. ult. de suppl. negl. Prælat. eod. lib. Vel is, quem Capitulum ut administratorem constituerit, secundum Gl. hic ver. ad quem) potest excommunicatos à iure, vel ab homine absolueret, sicuti Episcopus posset, si viueret: nisi Sedes Apostolica specialiter interdixerit.

NOTANDVM Vn. Capitulum, vacante Sede, exercet iurisdictionem Episcopalem, exceptis ijs causis, quos vel ipsum commune ius excipit, vel Pontifex speciatim interdicit. Quia de re sufficienter dictum est in c. cum olim, 14. extra, hoc tit.

TITVLVS XXXIV.
DE TREVGA ET PACE.

Posteaquam de Ecclesiasticis potestatibus atque Iudicibus dictum fuit, conueniens esset, ut de ipsis iudicijs ageretur: Sed quia præstat, ut, si fieri possit, dissidentes ac litigantes, seu Superiorum auctoritate, seu proprijs pactionibus ac transactionibus ad concordiam redigantur, ideo de pace, treuga, seu belli inducijs, pactionibus, & transactionibus subiungitur, ante tractatum de iudicijs. Quod & iureconsultos egisse videbis in lib. 2. tit.

14. fforum.

SVMMARIVM.

1. Si publica dissidia seu bella inter ciuitates seu populos subiectos oriuntur, ad Principem seu Superiorem spectat, ut partibus compositionem seu pacem impertat.
2. Si priuati inter se lites foueant, & iudicio contendere velint; ordinariè cogi non possunt ad transactionem.
3. Qui probabiliter timet ab aduersario suo offensam, vel violentiam, potest à iudice petere, ut ille præstet cautionem de non offendendo.

Dispu.